sicut per ysaiam prophetam dicitur. Non est ei species neque
decor. Et vidimus eum et non erat aspectus. Despectus.
Et nos putavimus eum quasi leprosum et percus-
sum a deo et humiliatum. Vocem tamen habuit
quia cum clamore valido et lacrimis spiritum
emisit. Cui sibi alimenta subtraxit.
quia in cruce clamavit: sitio. et felle et
aceto potatus fuit. Alas super pullos
expandit ut defenderet eos ab ore accipi-
tris. quia brachia in cruce extendit ut
liberaret nos de manu demonis.
In quibus alis confidebat ille qui dicebat.
Miserere mei deus miserere mei quoniam in
te confidit anima mea. Et in umbra alarum
tuarum sperabo donec transeat iniquitas. Propter
has condiciones comparat se dominus galline
cum dicit in iohanne. Ierusalem ierusalem quotiens vo-
lui congregare filios tuos quemadmodum
gallina congregat pullos suos sub a-
las et noluisti. Per ierusalem intelligitur
ibi synagoga. cuius filios idest iude-
os incredulos ipse voluit congregare
in corpus suum quod est ecclesia et sub alas
suas. idest sub brachiis suis que extende-
dit pro eis in cruce. Sed ipsi noluerunt.
quia in ipsum credere noluerunt. et ideo
infernali accipitri idest dyabolo
tradita sunt. Item propter hanc teneritudinem
amoris comparat se christus pellicano qui
trahit sanguinem de suo pectore pro pul-
lorum mortuorum vivificatione. Unde ipse
dicit in psalmo. Similis factus sum pellicano so-
litudinis. idest illi avi que habitat in soli-
tudine. idest in deserto. quia sicut avis
illa fudit sanguinem super pullos mortu-
os ut vivificet eos. sic ego fudi meum
sanguinem pro filiis meis. idest pro omnibus
christianis ut ipsos vivificarem. idest
ut eos a morte perpetua liberarem et

ad vitam perpetuam revocarem. Et hoc in so-
litudine. idest in cruce que merito solitu-
do dicitur quia ibi fuit christus solus a disci-
pulis derelictus secundum illud prophete. Torcu-
lar calcavi solus et de gente non est vir
mecum. Et in ewangelio. At illi omnes relicto
illo fugerunt. Hoc igitur beneficium nunquam tra-
dendum oblivioni. sicut habetur exemplum
de puella exheredata per quam significatur
humana creatura. quam quidam nobilis
idest christus sibi matrimonialiter copu-
lavit et pro ipsa pugnavit et mor-
tuus fuit. In cuius memoria ipsa semper
habebat pre oculis suis vestem amici sui
sanguine cruentatam. Sic ergo patet
qualiter christus dicitur pater misericordiarum ratione creationis
educationis et redemptionis. In sequenti
sermone dicemus qualiter ipse est pater misericordiarum
ratione eruditionis castigationis et heredi-
tationis. Nos rogabimus dominum ut det
nobis ita beneficium sue creationis et nutri-
tionis et redemptionis recolere ut simus
digni ad eius eterna beneficia pervenire
ipso prestante qui vivit et regnat deus per omnia.

Pater misericordiarum et cetera. In [illegible] ff. dominice.
precedenti sermone diximus
qualiter deus est pater misericordiarum ratione crea-
tionis nutritionis et redemptionis. Modo
dicemus qualiter ipse est pater misericordiarum ratione eruditi-
onis castigationis et hereditationis. Dic-
to ergo quod ipse est pater misericordiarum ratione eruditi-
onis. quia sicut pater docet filios suos
sic ipse docet nos. Docet autem tribus
modis. idest per occultas revelationes.
Et sic docuit prophetas sanctos quibus ipse re-
velavit omnia futura. Et sic do-
cuit beatum iohannem ewangelistam cum ipse in
pathmos insula relegato revela-
vit omnia que patietur ecclesia usque ad

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 4v – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69206)